



H-A
27
18

Sta. Cruz de Coimbra
D. HIERONYMI

SYLVII DE ARAUJO

ULYSSIPONENSIS JURISCONSULTI, ET IN CURIA
Advocati, prius Philosophiae Athletæ, & soepe pro Rheticâ,
& Poesi, publicis, Regalibusque præmiis condecorati,

**PERFECTUS
ADVOCATUS,**

HOC EST,

TRACTATUS

DE PATRONIS,
SIVE ADVOCATIS,

THEOLOGICUS, JURIDICUS, HISTORICUS,
ET POETICUS,

Seu, quod idem valet, omnibus venustatibus onustus;

CUI ACCEDUNT

SUPREMI LUSITANI SENATUS

PULCHERRIMÆ, ET VERE AUREÆ DECISIONES,
Nec non & Forenses aliquæ Consultationes.

Omne opus duobus libris distinctum;

JUDICIBUS, ET PATRONIS

CAUSARUM NON IN JUCUNDUM.

Accedit in fine Tractatus alter de Judice Perfecto, sive ars Forensium Judicium
cum methodo campis metatis Indicem faciendi.

DICATUS

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. F. SEBASTIANO

PEREIRA E CASTRO

Equiti Avisensi, Trium Ordinum Militarium Procuratori Generali;
Domus Supplicationis Senatoris Gravaminum, &c.

ULYSSIPONE:

Ex Typis JOANNIS BAPTISTÆ LERZO

Anno Domini M. DCC. XLIII.

Solitis obtentis facultatibus, & Regali Privilegio.



ІМУМОЯЕН.Д

SYLVIA DE ARAUJO

PERRHETUS

2 UTA DO VIDA

СУТАЧАЯТ

СТИОЯЩАЯ

SIAE ADVOCAȚI

CUI ACCEDUNT

LIBERUS ET PATRUS

JUDICIBUS HYPATRONIS

CASARUM NON IN JUCUNDUM.

S U T A C I E

ILLUSTRISIMO DOMINO

ОЛАТСАВЕР.Н.Д.

ПЕРЕДАЧА ОЯТСВИЯ

УЛЯСТИПОНЕ



ILLUSTRISSIMO VIRO
DOMINO
D. F. SEBASTIANO
PEREIRA E CASTRO

EQUITI AVISENSI, TRIUM ORDINUM MILITARIUM
Procuratori Generali, Domus Supplicationis Senatori Gravaminum
æquissimo, Sancti Officii deputato integerrimo, & Bullæ Cru-
ciatæ Diœcesis Eborensis Canonico scholaſtico emeritissimo, &c.

¶ *Quod si quis dicit: Quia non satis habet operas, quae carpani possunt, et indeque nullus ab aliis usque adeo intactus, nemo im-
perfectus, ac sublimes ingenio praeditus, quin ex Zoli ri-
peta fecta plurimi corera eum insurgant, quo sit ut super
edita male. etiam ministrum tuum quis confidantur. Quis
Selene doctus? Sed nesciilli cum infimularunt fulvam.
Quis Hercule fortuit? Plurimi reputarunt ienatum. In vi-
ta Sagani, post obitum Zenophontem acutum suggestio-
nus Homerius habuit. Quandoque ego de mitasse factor
Aristocleti Peripateticæ doctrinæ facile Principem, &
per amicinflum Philosophum obscuratis plenique no-
men tuumque sepe Graecus reprehendit. Virgilius enim*

Perfectum Advocatum, opus sane utilissimum, nos-
tris sumptibus in lucem publicam prodeuntem, Te ju-
re optimo Mæcenatem, patronum, & titularem quis ado-
ptare non conspiciat: Te, inquam, tuumque venerandum
nomen meritò in fronte requirit; quem etenim nisi perfe-
ctum

etum *Judicem* perfectus *Advocatus* desiderasset, quem nisi
subtilissimum legum interpretem, quem nisi omnibus libe-
ralibus disciplinis instructum, consummatumque virum
concupisceret. Præcipue cùm labore nostro in publicam uti-
litatem typis exeat exaratum, labore inquam nostro, non alii
dicandum foret; adeo etenim eximiis me meritis devixisti,
tanto favore, benignitateque personam nostram prosequeris,
quòd si sui materia tibi aptius, & justius hoc opus conve-
niat, obsequii debiti ergo à me tibi, heros amplissime, so-
lummodo sacramentum esse debuerat. Accipe ergo hoc nostri
amoris pignus, monumentumque perenne, dum alii alia
ampliora tibi consecrant, & dicant. Deus te decus, &
presidium nostrum nobis diu incolumem, sospitemque con-
servet, tueatur, & fortunet.

Humillimus, & addictissimus servus

Joannes Baptista Lerzo.

PRO,

AD LECTOREM.

EN ego tandem humilis Advocatus, viribus imparibus, rudis ingenio, sterilis eloquio, sine fama, sive nomine, laboribus quassatus, periculosa descendere in arenam, ac qualecumque opus edo obtrectatorum iaucis latratibus patens. Si respondere adversariorum meorum maledictis futuris vellem, longo (in limine) volumine egerem. Nos autem, qui advocationis muneris faltam parvam habemus notitiam, & latius nobis utcumque sermo non deest, Jurisque studium; cæptis desistere recusamus, quidquid fera sibile hydra, seu Sinon vicit or incendia jactet. An novum hoc? Scio equidem cum Salomonie Eccles. 4. omnes hominum labores, ac industriam patere invidiæ proximi; nec me latet quam perdifficile sit ad omnium salivam scribere; vitium etenim hominibus est innatum, ut melius aliena opera, quam sua carpant; proindeque nullus ab invidis usque adeo intacitus, nemo ita perfectus, ac sublimi ingenio præditus, quin ex Zoili rigida secta plurimi contra eum insurgant; quo sit ut nuper edita maledicorum extemplo linguis confediantur. Quis Solone doctior? Sed nonnulli eum insimularunt stultitiae. Quis Hercule fortior? Plurimi reputarunt ignavum. In vita Sagarin, post obitum Zenophontem æmulum ingeniosus Homerius habuit. Quandoque ego dormitasse fatcor. Aristotalem Peripateticæ doctrinæ facile Principem, & per antonomasiæ Philosophum obscuritatis plerique notant, ipsumque saepe Galenus reprehendit. Virgilius, quem tentare nefas judicavit Statius, a multis Homerici laboris compilator habetur. Demosthenes eloquentia Græca primus Tullio in omnibus non placuit. Trogus Pompeius Titum Livium arguit, quem tamen jure merito extollit summa laude Divus Hieronymus, & lacteo eloquentiæ fonte manantem Maximus recognoscit in epistola, quam scripsit Paulino.

Quid referam alios? Senecam rident ulli, ac calcem

sine arena nuncupant. Marcellus in Salvium Julianum notis saepe fertur. Nostri Martialem , de quo bene *Sidonius Apollinaris* carm. 23. ita cecinit.

Quid celsos Senecas loquor , vel illum ;

Quem dat Bilbilis alta Martialem ?

Sinistra tamen infeliciū Criticorum patitur Iberus iudicia, nempe Volaterrani , Pauli Jovii , & aliorum. Jurisperitos afferam in medium? Væ mihi! Istis mos est ad invicem lacerari ; raroque inter illos pax , & concordia notatur. Cave ab isto , cave ab illo , quotidie sonant ; ac ex aliorum penu sublata clamitant quæcumque in lucem opera exeunt. Sic Cassaneum irridet Tiraquelus , ne dicam de aliis; infinitus enim forem. Mendes vocat Phæbum audaculum , ac in alio numero non omnino malum authorem, ut laudi jungeret injuriam: Melius autem Leitaō dentibus infrendens vituperat illius libros reproductos, prima enim, & secunda pars practicæ a Mendes proditæ inter se concordant , ut ita dicam , in genere numero , & casu; quod forsitan supponat Leitaō. Certum est Mendes , & Phæbum esse bonos authores ; & ita semper intellexi.

Quid igitur , Zoile , damnari timeam , si tu antiquioribus , doctissimisque viris adhuc non parcis ? Festino vel ideo , & nauta non omnino infelix , hærentis in salo naviculæ funem magis præcido , quam solvo , ut novi Advocati , quibus prodesse desidero , hic accipient bona munieris documenta , veritatique omnes dediti justitiam collant , authoritatemque suam cognoscant , ac sancta ducti præsumptione nihil indignum excogitent. Hic amor , hoc præmium est ! Et dummodo vel uni proficiam , Zoilis contra me clamantibus , labori plaudio. Hic privata lectio- ne contentus libros non offeret vobis , nec ego fastidiosis cibos ingero: qui velit accipiat , qui arguit , nullatenus emat. O miserum Zoilorum supercilium , qui judicare tantum de aliis , & ipsi nihil facere noverunt!

Quod ego in Operis principio laudem aliquos Advocatos , quorum clara nomina parvum tradit volumen, non ideo est ; quia alii multi non sint ingentis doctrinæ viri;

& omne optime explicatur, exemplisque firmatur.

10. Incommoda, quae stare possunt ex parte Advocati, & patrocinari prohibentia recensentur, & similiter ad altera tria genera reduuntur. Unum est gravissimum, aliud grave, aliud leve: exemplis sunt nota.
11. In nulla necessitate tenetur Advocatus patrocinium ferre cum gravissimo sui incommodo: Opera charitatis non obligant cum tanto discrimine: In gravissimis necessitatibus pauperum obligamur, & in gravibus etiam cum nostro levi incommodo quod non attenditur, nec venit in considerationem, In necessitatibus autem communibus non obligamur cum gravi nostro nocumento.
12. In casu extremæ necessitatis tenentur Advocati ex precepto charitatis pauperibus gratis patrocinari cum gravi incommodo, hoc est, data aliqua adhuc jactura. Late propositio hoc probatur.
13. In communibus necessitatibus pauperum tenentur Advocati eis auxilium gratis præstare cum levi suo nocumento. Probatur aperite. Advocatus etiam debet quieti indulgere; & non potest aliter operari; & moderatio amanda est.
14. Advocati debent amare paupertatem, & defendere egenos. DD. referuntur ita afferentes.
15. Pauper non habet actionem civilem ad cogendum Advocatum; implorat tamen Prætoris officium nobile ad hoc: Judex Advocatum compellit recusantem, & propter hoc potest illum suspendere. Omnis civitas debet habere Advocatum miserabilem personarum. Misericordia in his amplissimis Civitatibus habet Advocatum, qui advocat

pro incarcерatis. Qui libertate fruuntur etiam sunt in carcere quandoque paupertatis.

16. Advocatus timoratus non bene facit, si sperat pecunias à paupere viro.
17. Beatus Advocatus, qui amat, ac diligit pauperes illo indigentes. Prætor dat Advocatum penti, & maxime pupillis, & viduis. Istorum negotia celeriter expedienda.
18. Qui non cogitur esse Advocatus (licet ita de omnibus) postquam assump̄sit munus, compelli potest, ut patrocinium suscipiat. Plurimi DD. ita dicentes referuntur.
19. Causæ excusantes proponuntur.
20. Laudatur pietas, & Misericordia. Pauperes etiam nihil dantes alunt Advocatos. Qui pro paupere patrocinium præstat, tuba canere nolit. Aliquando potest patefacere sine jactantia, & ad exemplum aliorum: Advocatus debet lucere virtute magna. Rustici plerumque proficiunt, & ipsi pauperes; potentissimi vero aliquando nocent; & Ovidiano carmine delaratur.

CAPUT XIV.

Utrum Advocatus teneatur in foro conscientiæ præstare patrocinium pauperum causis? Quando hoc verum sit affirmative, resolvitur. Tractatur late, & summa distinctione præsens materia. Postremo pictas, & Misericordia erga pauperes Advocatis commendatur; & quando Advocatus post susceptum officium excusat ab Advocando pro aliquo, panditur.

NOsco ego plures homines avares, inter quos unus semper mihi celeberrimus vir, passim grandissi-

grandissimo intonat ore, Advocatos pro pauperibus debere gratis patrocinari, hocque dicto contentus, quasi Oraculum Jurisprudentiae miratur Patronorum aliquorum negligentiam, & in hac pietate repugnantiam. Ast cum ipse aliquando fuerit Judex, ac hodie bonis patrimonialibus sufficienter vivat, quin sit ei necessarium labore pecunias ad manducandum acquirere, miror ego magis de illo; poterat enim pauperibus aperire limen, & suo ingenio illorum causas defendere, non est enim omnino malus Jurisconsultus; & habet Bibliothecam sufficientem. Ibi certe legit statutum Patavinum sub rubric. de causis miserabilium v. & ne Advocate, & statutum Verone lib. 2. cap. 101. sub rubrica de Advocatis compellendis.

2 Pro hac resolutione indefinite stat magna cohors illorum, qui vident festucam in oculis fratrum, suis autem trabes non aspiciunt. Divites sunt, & omne, quod habent, vel tradunt thesauro simul cum corde, vel superfluitatibus, luxuique, origine destinant, quin eleemosinam egenis dent. Nostrum autem laborem totaliter pauperibus debitum clamant, ac generose fatentur: cur ergo vos avari, turpesque homines, de vestro non indulgetis? Diritia vestra pauperrima consistit in nummis, nostra autem ingenio, & Minerva: nos erimus prodigi, & perdit, vos autem pecuniam adorabitis? Distincte ergo debetis procedere, & ego ad questionem pro absoluta primo sic argumentor; & interim.

3 Exodi 23. sic dicitur: *si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo:* sed non minus periculum imminet pauperi, si ejus causa contra justitiam, ac leges opprimatur; quam si ejus jumentum jaceat sub

onere: ergo Advocati tenentur praestare patrocinium causis pauperum.

Facit secundo illud Matthæi cap. 4 25. 30. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium:* ergo Advocatus non debet esse inutilis, alioquin hac Domini sententia condemnabitur, si suis talentis non velit lucrari, ad quod conducunt illa verba D. Gregor. Homil. 9. Evang. prope fin. ibi. *Habens intellectum curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam à misericordia non torpescat: habens artem, qua regitur, usum illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, pro pauperibus intercedat. Talenti enim nomine cuilibet reputabitur quod vel minimum accepit.*

Ulterius argues sic: Præcepta de operibus misericordiæ adimplendis sunt affirmativa obligantia pro loco & tempore, quod est in dura, & maxima necessitate; atqui magna necessitas videtur esse, quando aliquius pauperis causa opprimitur: ergo à me Advocate subveniendus est, & ita videntur sequi DD. quos postea, & per discursum hujus valde necessarii capitis referemus. Utinam sit ad pauperum utilitatem, & ad maiorem Dei gloriam, quod præcipue intendimus!

Sed contra: non minor necessitas est indigentis cibo, quam egentis Advocate: atqui ille, qui habet potestatem cibandi non semper tenetur cibare: ergo neque Advocatus tenebitur semper pauperibus patrocinium praestare. Idem ergo dicendum est de nostro patrocinio, quod de aliis operibus misericordiæ; & cum omnibus prodesse impossibile sit, his potissime consulendum est, qui pro locorum, & temporum opportunitatibus constrictius mihi quasi quodam eventu, & fortuna junguntur; neque enim per mun-

mundum cogor quærere indigenes, quibus subveniam, sed sufficit quod paratus sim succurrere occurrentibus intra metas charitatis, quæ debet incipere à me ipso, Patre, uxore, præcipueque filiis charissimis, si forte tale onus sit tibi Advocate. Homo enim sibi conjunctis quacumque necessitudine maxime debet curam impendere, ut ex prima ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit.*

7 Quando ergo aliquis tantam necessitatem patitur, quod in promptu non appareat, quomodo ei possit aliter subveniri, in tali casu, Advocate, teneris operam misericordiæ impendere: si autem in promptu appareat, quomodo ei possit subveniri, vel per se ipsum, vel per aliam personam magis conjunctam, aut maiorem facultatem habentem, non teneris subvenire; quamvis si facias, & bene sine detrimento tuo possis, laudabiliter agas: unde Advocate non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare; sed solum concurrentibus certis prædictis conditionibus; & si ita non foret, & absolute resolveremus, offereret me alia omnia negotia prætermittere, & solis indigentium causis juvandis intendere. Dico ergo ad argumenta posita; quod quando asinus jacet sub onere, non potest ei aliter subveniri, nisi à transiente. Ad instantiam talenti, dico locum habere, servatis servandis. Ad tertium dico, quod non quælibet necessitas causat debitum subveniendi. Et ad omnia, quod semper charitas debet incipere à nobis: unde si egeamus, & actualiter hac die laboremus ad manducandum, sive ad tegendum corpus, sive ut solvamus inquilini tristes, quomodo talibus circumstantiis, & similibus poterimus pauperes juvare?

Præcepta dantur de actibus virtutum, & ad hoc ut patrocinium ab Advocate sit præstandum, & sit actus virtutis, necessarium eit quod aliqua considerentur ex parte dantis, & altera ex parte volentis recipere; ex parte enim primi requiritur possiblitas, & commoditas ad patrocinandum; ex parte recipientis necessitas. Hujusmodi patrocinium eleemosina quedam est, ac opus misericordiæ: ergo idem dicendum est de illo, quod de eleemosina, & aliis operibus misericordiæ, juxta illud Joann. 1. cap. 3. *Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate:* ergo ut velimus, & operemur bonum, requiritur quod necessitati alicujus subveniamus, quod fit interdum per eleemosinam, interdum per patrocinium juxta uniuscujusque indigentiam, ac necessitatem: ergo idem de his omnibus est discurrendum.

9 Explicemus ergo, cuinam necessitati debeat Advocate subvenire? quando pro pauperibus gratis debeat postulare? Necessitates jam ad tria genera reducamus. Primi generis est necessitas extrema, in qua intelligendus est aliquis esse, non quando jam agit extremam animam; tali enim tempore quis poterit auxiliari? Sed tunc proprie dicitur extrema necessitas, quando sunt in aliquo certa, & nota signa significantia illum brevi tempore peritum, nisi auxilium aliquod præbeatur. In secundo genere est necessitas gravis, quæ est valde vicina extremae. *Mantua vae miseræ nimium vicina Cremonæ!* Hæc est, cum aliquis versatur in magno, & certo periculo incendi in aliquem morbum gravissimum propter inopiam, vel aliam hujusmodi calamitatem. In tertio genere constituuntur ostiatim eleemosinam petentes. Ita ergo sunt necessitates indigentium Advocatis. Prima est extrema, non quidem, quan-

quando quis jam dicitur ad supplicium (nam in tali tempore vix potest dari auxilium , excepto aliquo Daniele) sed quando stat in carcere, imputaturque ei crimen , propter quod infallibiliter mors erit infligenda ; nec habet unde sibi subveniat , nisi ex meo patrocinio gratis collato. Altera est gravis necessitas, quæ, ut jam dixi , est extremæ vicina ; & est , quando aliquis versatur in magno , & certo periculo incurriendi gravissimum incommodum mortis , aut supplicii ex defectu patrocinii. Tertia est communis necessitas , qua laborant quicumque pauperes litigantes pro bonis , rebusque suis.

10 Incommoda autem , quæ stare possunt ex parte Advocati simili modo possunt ad tria genera reduci. Primum est gravissimum ; quod contingit , quando aliquis probabiliter timet , quod si patrocinium præstat , vel mors , vel maioris partis bonorum jactura sequatur. Secundum est grave , quando Patronus timet gravem jacturam , vel amittendo quæ habet , vel acquirendo quæ acquirere poterat , si diviti , & habenti patrocinium præstaret. Tertium est leve , ut si timet tempus consumere , vel aliqualem molestiam accipere in cognitione causæ , & ipsius prosequutione.

11 His autem penitus constitutis , summa claritate procedentes ; & ut certa ab incertis nostro calamo separamus , dico primo , certum esse , quod , in nulla necessitate tenetur Advocatus patrocinium ferre cum gravissimo sui incommodo ; charitatis enim opera non obligant cum tanto discrimine. Dico secundo , quod in gravissimis pauperum necessitatibus , & in gravibus tenentur Advocati patrocinium ferre cum levi suo incommodo , hoc enim non attenditur , & charitas ipsa laborem postulat. Dico tertio , etiam

esse certum , quod in necessitatibus communibus non obligantur Advocati patrocinium ferre cum gravi suo nocumento. Itaque non teneantur nostrorum bonorum jacturam pati , ut pauperibus auxilium præbeamus ; charitas enim bene ordinata , ut dixi , debet incipere a nobis.

Sed de duobus nimis dubitatur: **12** Primum: utrum in gravissimis pauperum necessitatibus teneantur Advocati cum gravi suo nocumento? Secundum: utrum in communibus necessitatibus pauperum , teneantur Advocati eis patrocinari cum levi incommodo ex parte dantis ? Ad primum dico: In casu extremæ necessitatis tenentur Advocati ex præcepto charitatis pauperibus gratis patrocinari cum gravi suo incommodo , hoc est , cum aliquali bonorum bonorum jactura. Probatur: ordo charitatis est in præcepto , ut tenet communis sententia Theologorum: atqui secundum istum ordinem vita spiritualis proximi anteponenda est vitæ corporali , & vita corporalis proximi anteponenda est reliquis bonis nostris : ergo in casu extremæ necessitatis vitæ tenebitur Advocatus cum aliquali bonorum jactura vitæ corporali pauperis patrocinari. Secundo: Quamvis verum sit , quod in eodem casu , & in æquali necessitate magis teneat subvenire propinquo , quam extraneo , tamen etiam est verum , quod in quocumque casu teneat subvenire propinquo , teneat subvenire extraneo , dummodo ambo simul non concurrant ; sed sic est , quod si frater tuus , Advocate , in illa esset extrema necessitate , tenebaris ei patrocinium præstare cum bonorum tuorum jactura : ergo idem dico de extraneorum necessitate. Adde: Idem est judicium de patrocinio ; atque de eleemoyna , ut dixi jam ; sed in casu extremæ necessitatis

cessitatis tenetur homo eleemosi-
nam facere , etiam de necessariis
ad statum: ergo similiter Advocatus
in extrema necessitate tenebitur
patrocinari cum aliquali bonorum
fuerum jactura. Minorem probat
cum plurimis Theologis Grat. for.
cap. 176. n. 1.

13 Secunda conclusio ita est. In
communibus necessitatibus paupe-
rum tenentur Advocati illis patro-
cinium , & auxilium gratis præstare
cum levi suo nocumento. Ita cum
plurimis resolvit Perez leg. 1. tit.
19. lib. 2. Ordin. v. sexto dubitatur.
Et probatur: Homines tenentur fa-
cere eleemosinam de superfluis na-
turæ in communibus necessitatibus;
sed eadem est ratio auxilii præstan-
di in necessitate ab Advocate: er-
go etiam Advocatus in communi-
bus necessitatibus cum levi suo no-
cumento tenebitur pauperibus pa-
trocinium præstare. Maxime, cum
in Advocate , tempus , quod sibi
supereft , & molestia , quæ accipi-
tur in cognitione causæ ; & ipsius
prosecutione , habeat rationem su-
perflui , ut dicit Soto lib 5. de just.
q. 8. art. 1. Hoc tamen dictum de-
bet cum debita moderatione accipi;
Advocatus enim neque semper po-
test laborare , & quotidie debet in-
dulgere somno , & quieti , ne aliter
sit homicida sui ipsius , & si ita
faceret semper , & pro semper la-
borando , cum vires non possent,
certe peccaret. Non toto ergo cor-
pore liquatur sudor , sed sit nobis
respirandi potestas. Hæc dicta obser-
vent omnes.

14 Pro coronide istius quæstionis,
moneo Advocatos, quod semper
ament paupertatem , egenosque
defendant , miserosque homines,
contra quos acre testimonium in-
surgit , debent enim facere , &
servatis traditis est communis op-
nio , de qua Cov. lib. 3. Var. cap.
14. n. 1. Tiraquel. de nobilit. cap.

29.n.37. Ana.Gail pract.obs.lib.1.obs.
43. ex n. 15. ubi n. 18. & ibi tradit,
ac exponit , qui dicantur pauperes?
Suares de Paz in pract. annot. 5.
n. 65. ubi limitat in locis , ubi sunt
Advocati publici publico stipendio
conducti ad patrocinium paupe-
rum.

Et hoc tantam vim habet , quod **15**
licet pauper non habeat actionem
ad cogendum Advocatum , ut nem-
pe pro se patrocinium suscipiat , po-
test tamen implorare officium Judi-
cis , qui Advocatum compellet , &
recusantem suspendet arbitrio suo
ab Advocationis officio juxta notata
per Menoch. de arb. judic. lib. 2. cas.
369. n. 4. Portol. ad Molin. in §. Ad-
vocatus n. 108. Immo , ut scribit
Cerdan. in libro visita de la Carcel ,
omnis Civitas debet habere Advo-
catum miserabilium personarum , ut
bene tradit idem cap. 6. Hac urbe
præclarissima datur Advocatus san-
ctæ Misericordiæ , qui hodie est
Noutelius de Carvalho Brandaõ ; &
advocat pro incarceratis. Ast cum
multi , qui libertate fruuntur , sint
etiam in paupertatis carcere , ad istos
levandos properare debemus; neque
enim senex sufficit omnibus , neque
multi juvenes.

Si autem , Advocate , vis scire **16**
tuam obligationem in hoc , & quod
non possis capere , neque sperare
pecunias à paupere , lege Narbon.
ad l. reg. lib. 4. tit. 25. leg. 35. Tira-
quel; ubi supra , & ibi citat. Alber-
cium , & Jasonem. Filiucium e So-
ciate Jesu moral. quæst. tom 2. tra-
dition. 40. cap. 10. n. 286. & 287
Soto supra lib. 5. de just. & jur. q.
8. artic. 1. Benincas. de privilegio
paupertatis in 1. specie in judicio ex
n. 9. ubi quod aliter Advocatus sal-
vari non potest. Unus pro cunctis
S. Thomas 2.2.q.71. articul. 1. atque
etiam articul. 4. Et quod recusans,
deponi debeas , probatur ex l. pro-
videndum §. 1. cod. de postul. & ibi
Bald.

Bald. Abbas in c. I. de offic. judic.
Gravat in annotat. ad proxim Vestrii
lib. 4. cap. 4. n. 326. Mynsinger. cen-
turi. 3. observat. 32. tx. in l. 1. §. cu-
ra carnis ff. de offic. Praefect. urb.
& l. moris §. I. de pæn.

17 Ideo Psalm. 40. sic dicitur: Bea-
tus qui intelligit super egenum, &
pauperem: in die mala liberabit eum
dominus. Intelligite ergo, nostri
advocati, & defendite, quælo, &
legite Laetant. lib. 6. cap. 12. qui
sic ait: magnum justitiae opus est,
pupillos, & viduas destitutos, &
auxilio indigentes tueri, atque defen-
dere. Ideo Prætor debet date peten-
tibus Advocatos ex Ulpian. lib. 2.
de officio Proconsulis: *Advocatos*
petentibus debebit indulgere, pri-
mumque feminis, vel pupillis, si-
quis eis peiat, vel si nemo sit, qui
petat, ultro eis dare debebit: eorum
quoque negotia celeriter expedien-
la sunt. Jam licet, Advocati, quo-
modo viduas præfertim, & Orpha-
nos debetis voce, calamoque de-
fendere?

18 Et licet quis non cogatur esse Ad-
vocatus, attamen si assumpsit advo-
cationis munus, compelli potest
etiam per Judicem delegatum in
his terminis, ut patrocinium susci-
piat: l. I. §. ait Prætor, juncta glos.
in verbo non habebunt ff. de postul. l.
Providendum §. I. l. quisquis cod. eod.
c. I. de offic. Judic. ubi glos. in verbo
implorando: l. nec quicquam §. Ad-
vocatos, & §. fin. ff. de offic. Procon-
sul. de qua diximus: Gail praet. ob-
servat. lib. I. obs. 43. u. I. Avil. in
c. 28. Prætor in glos. acogidos num. I.
Barbos. de offic. Episcop. p. 3. alleg.
79. n. 34. Zerol. in prax. episcopal.
p. I. verbo Advocatus n. I. Aloys. de
Leo in l. 5. n. 31. cod. de postuland.
Gratian. discept. for. tom. I. c. 56. n.
22. hocque ad instar hospitis, qui
postquam incæpit tenere hospitium,
cogitur hospitari omnes viatores. En-
quando tenemur proximis servire,

quin ultam speremus mercedem:
Sot. lib. 5. de just. & jur. q. 8. art. I.
Gail obs. 43. n. 14.

Aliquas causas excusantes à me-
morata obligatione statuunt Docto-
res, loquentesque absolute, argu-
mento l. humanit. cod. de excusat.
Tutor. l. non solum §. fin. ff. eod. l. si
longius ff. de judic. l. muner. §. judi-
canai ff. de muner. & honor. cap. si
pro debilitate, & ibi Felin. n. 4. in
fin. de offic. Delegat. glos. in l. sanc-
mus I. in verbo arbitrium cod. de Ad-
vocat. divisor. judic. prædictus Gail
praet. obs. lib. I. obs. 43. n. 9. Grat.
discept. for. tom. I. c. 56. n. 32.
Cauia justa vila fuit Gratiano, si
Doctor in publico Gymnasio profi-
teretur; tum quia isti publico mu-
neri debet satisfacere, tum quia sic
maiis habet privilegium: facit Val-
la cons. 88. inter consilia Sylvani.
Alias, si tenetur exire in provin-
ciam. Tu ponderando supradicta, &
quæ à nobis distincto calamo dicta
funt, vere observa, sunt enim à
bonis authoribus deducta, sanaque
mente.

Pietas ergo, & misericordia sum-
mopere à bonis Advocatis sunt
amandæ; pauperes enim certe nos
alunt, quando ipsi gratis servimus;
Deus enim pro istis multa dabit mu-
nera. Cùm tamen pro paupere pa-
tronum præstas, noli tuba cane-
re ante te, dempto casu, si hoc fa-
cias, ut exemplum aliis præbeas Ad-
vocatis juxta illud: *Sic luceat lux*
vestra, ut videant opera vestra bona,
& glorificant Patrem vestrum, qui
in cælis est.

Ego, ut verum fateat, volo pau-
peres, volo rusticos, hominesque
viles hac mea domo.

*Nam quamquam soli possunt pro-
desse potentes,*

*Non proposit potius, si quis obesse
potest.*

*Effugit hibernas demissa antenna
procellas,*

Lataque plus parvis vela timoris habent.
Adspicis ut summa cortex levis innatet unda,
Cum grave nexa simul retia mergat onus?
Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipsum)
Sic cadit ut tacta surgere possit humo.
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto,
Occurrit Regi debilis umbra suo.

ADDITIO HUJUS CAPITIS.

Continet sententias depromptas ex sacra Pagina, quas nostris offero Advocatis, ut pro pauperibus intercedant.

Eccl. cap. 4. *Fili, eleemosinam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas à pauperre: Animam esurientem ne desperieris, & non exasperes pauperem in inopia sua: cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Rogationem contribuli ne abjicias, & non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos.*

Eccles. cap. 29. *Qui facit misericordiam, feneratur proximo suo. Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo. Confirmaverbum, & fideliter age cum illo; & in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.*

Adverto, Advocatos etiam cum incommodo debere dare consilia, ac ita eleemosinam; sic enim nimis à Deo amabuntur; & opus gratum facient adhuc in minimis; ad quod legant illud. *Luca c. 21. ibi.*

Vidit autem, & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus

quam omnes misit. Nam omnes hì ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victimum suum, quem habuit, misit.

Ultimo advertere vellem, nos specialiter ut doctos debere fugere à mendacio, fictisque artibus, quibus hypocrita relucet. Sequamur veritatem in judicio, & amemus iterum misericordiam: legite Matth. cap. 23. ibi.

Væ vobis Scribæ, & Pharisei hypocrita: qui decimatis mentam, & anethum, & cuminum, & reliquis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem: hæc opportuit facere, & illa non omittere.

Bene Proverb. c. 14. 31. *Qui calumniatur egentem, exprobat factori ejus: honorat autem eum qui miseretur pauperis.*

Matthæus c. 5. 42. *Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te ne avertaris.*

O' si ego, nostrique Advocati ita operaremur! Faciat Deus, ut sic!

SUMMARIUM CAPITIS XV.

- 1 *Quondam vendere patrocinium in honestum reputabatur apud Græcos. Plinius de hoc gloriabatur, & eloquentissimus Cicero: Qui negotia habebant, antequam agerent, se nihil Advocatis dedisse, vel promissojurabant.*
- 2 *Lex Cynthia memoratur, quæ aliquid à nostris Advocatis recipi prohibebat: Claudio Caesar sustulit hanc prohibitionem, atque Romanus Nero.*
- 3 *Reprobatur Xamar, & explicatur Suetonius: Nero constituit quod ex publico ærario recipirent Advocati.*
- 4 *Panditur primum argumentum inten-*

mā, & ordine standi §. post hos, quem citat aureus Boerius in tract. de authorit. magni Consilii n. 93. Grat. for. tom. 1. cap. III. nu. 84. perintegros de hoc tractatus ediderunt Signorol., & Christophorus Lanfranc. de Homodeis, Thomas Mer. p. 2. coll. 6. cap. 17. de professor. jurisperitis num. 7., quos poteris videre.

2 Ratio istorum principalis est, quia Scientia præfertur viribus, ac divitiis: c. de multa G. circa sublimes, & literales personas de prob. c. 2. de officio Delegati lib. 6. Unde Sapienter dixit Salomon Sapient. cap. 6. in princip. *Melior est Sapientia, quam Vires, & Vir prudens, quam fortis.* Et Ecclesiast. cap. 9. in fin. *Melior est Sapientia, quam arma bellica.* Et Sapient. 7. *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omnne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius.*

3 Accedit; quia Sapientia secundum ipsum Salomonem, est Mater, & origo, principium, & fundamentum omnium bonorum, ut Sapient. 7. 11. *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & letatus sum in omnibus, quia antecedebat me ista Sapientia.* Quasi sic ista omnia munera distribuat, & dominetur domina absoluta, diserta, & antiquissima præ ceteris: unde Cicer. lib. 1. Officior. sic est locutus. *Parva sunt foris arma, si non est consilium domi.*

4 S. Isidorus lib. 1. Etymolog. refert illam tabulam ingeniosè propositam a Demosthene Græco Oratore: Philippus Macedo exercitu potenti Atheniensibus terror erat, provinciamque vastabat. Ecce tamen per legatos petivit ab eis (Civitatemque intactam promittit) decem claros Oratores. Patres, primique Cives pro-

ponunt Philippi pactum in Senatu, donec Demosthenes ingenio grandi hæc protulit verba: *Facta est pax Cives inter Lupos, & Pastores.* Illi ah ipsis canes sunt consecuti, dicentes latratibus esse rixarum causam; & sic pastores ignoranter luporum votis annuerunt, judicantes, quod cum pax celebraretur, nulla erat canum necessitas. Sed quamprimum lupi greges notarunt custoditos, ecce adulant dentibus frementes, pavidosque terunt, lacerantes unguibus. Hoc vobis, Patres, postulat Philippus; maturis ergo animis ponderate, utrum sit conveniens dimittere vestros Oratores famosos, qui suis latratibus, consiliis nempe, portas custodiunt Civitatis, Regnumque totum? Omnia perditis, si abdicatis vestros Jurisperitos. Scilicet Philippi exercitus Duces, militesque non petit: ad quid ergo decem homines? Decem Sapientes nempe possunt superare exercitus, vastare Urbes, vincere Reges; & toti dominarier orbi. Hac consideratione ductus Calistus III. Pontifex Maximus sœpe dicebat, se non timere bella, & insidias hostium, cum Ecclesia mille homines doctos haberet, ut refert Victoria in suo Theatro de los Dioses p. 2. cap. I.

5 Quid ulterius? Ecce dum tota Europa armis gemit quassata, Italiæque campis fervent agmina voluntaria. Dum tota Parma gladiis, tellisque coruscat, Padumque multo sanguine cernimus spumantem grandemque instructo Marte Sabaudiam, cuius Rex potentissimus verè nostrorum temporum Hercules; sola Lusitania fruitur sua pace secura. Rhenum aspicias, Eugeniumque inclytum Turcarum quondam terrorrem, quos sœpe præliis devicit, fugavitque, nunc in Gallos tela, ultimumque exitium minantem.

*Induitur ferro splendor, juvenumque repostæ
Instaurant galeæ coni decus, hasta*

*basta juvatur
Amento, renovantque nova for-
nace bipennes.
Conseritur tegmen laterum im-
penetrabile multas
Passurus dextras, atque irrita
vulnera thorax.*

- 6 His fretus auxiliis Potentissimus Dominus Germaniae Imperator Carolus Sextus, quem diu fata servent incolumem, Iberos altos, Gallosque invictos lacefuit. Parte alia metuendum videas Carolum alterum, annis juvenem, experientia senem, qui post captam Neapolis Urbem, Regno potitur. Cecidit Palermus alta solo, atque omnis metuit Trinacria tellus.

*Hispanus bello victor, primisq;
Superbus
Auspicio tantorum operum vio-
lentius ardet,
Attollitque animos, Messanæque
alta requirit
Mænia, & oppositis celer admo-
vet agmina muris.*

- 7 Cedit Regno Caroli devicta Capua, illa urbs Campana a Virgilio memoria. Illinc noscas Lunam Superbam, Persasque ruentes. Qualia non umquam numeraverat agmina Xerxes, sive Darius infestus Alejandro. Tanta est potentia Thamas!

- 8 Quid inter hæc noster invictissimus, ac insuperabilis Dominus D. JOANNES QUINTUS Lusitanæ, & Algarbiorum Rex? videt pugnantes animo sereno.

*Ipse sedens niveo melioris limine
Phæbi
Dona recognoscit populorum,
aptatque Superbis
Postibus, incedunt victæ longo
ordine gentes.
Conscius ille sui, Sapiensque
per omnia lustrat
Attollens humeris famamque, &
fata Nepotum.*

- 9 Sapientia nempe, consiliumque Lusitanum regit Regnum; ac in pace

per saecula conservabit. Quod si bella ruerent, Nonus unusquisque obscura è mole sepulchri Surgeret, & gladio vel sponte lacefferet Orbem!

Redeamus ad opus: Aristoteles, quem refert Rebiffus ad leges Gall. tit. de salariis famulorum glos. 2. in princip. ait Sapientes, & qui ingenio pollent, esse veluti dominatores aliorum; eo quod graviter ferendum est, quod illiterati homines nos alii cubi pro nobilitate generis vincant, vel armis superent; quando, ut dicitur Proverb. cap. 20 ib. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella: gubernaculis, id est prudentia, & consilio. Et sine consilio Sapientum nihil in ipso bello agitur, ut bene deducitur ex lib. 1. Machabæorum cap. 5: In die illa cederunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælum. Vide Homer. lib. 2. Iliados.

*Certè, inquit, venerande Senex,
te plurima lingua
Gratia commendat: prudenti pe-
ctore cunctos
Haud dubiè gratos superas, vin-
cisque loquendo.
Atque utinam tales mihi Di bis
quinque dedissent,
Nempe brevi nostris manibus
caperentur, & alto
Pergama conciderent a cul-
mine.*

Bene Cicero in Catone Majore sic 11 ait. Dux ille Græciae nunquam optat ut Ayacis similes decem habeat, sed ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin Troja brevi sit peritura. Vnde optimè Flac. lib. 4. ib.

*Nec solis viribus æquum
Credere, saepe acri potior pru-
dentia dextræ.*

Et Lampridius memorat de Alessandro Severo, quod confuetudo illi fuit, ut si de jure, aut negotiis tra-

tractaret, solos doctos, & disertos adhiberet. Si verò de re militari, milites veteres, & senes bene meritos, & locorum, ac bellorum, & castrorum peritos, & omnino literatos, & maximè eos, qui Historiam notant: requirens quid in talibus causibus, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium fecissent? En quomodo milites ab his notitiis dependent, & vel a nostra jurisprudentia, quæ est humana rerum notitia vasta. Bene Justinianus de Justinianeo Codice confirmando: ibi: *Summa Reipublicæ tuitio de stirpe duarum rerum, armorum, atque legum veniens, vimque suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque gentibus dominari, tam præteritis effecit temporibus, quam Deo propitio in æternum efficiet; istorum enim alterum alterius auxilio semper eguit, & tam militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipse leges armorum prædio servatae sunt.*

13 O felix Minervæ, & Jurisprudentiæ consilium, cui vel arma cedunt! Xerxem, qui multa hominum millia contra Græcos adduxerat, nec vel terra, vel mari poterat capi, unius Themistoclis industria superavit: Sanè contra hostes non armis solum, sed consilio in primis utendum est. Nam cùm consultatione possimus superiores evadere, quid opus erit pericula suscipere? *lege Rutil. lib. I. Itinerar. de Imperio Romano, ubi.*

Omnia perpetuos quæ servant sydera motus,

Nullum viderunt pulchrius Imperium.

Quid similes Assyriis connectere contigit arma,

Medi finitimos cùm domuere suos?

Magni Parthorum Reges, Macedumque Tyranni,

Mutua per varias jura dedere vices.

Nec tibi nascenti plures anime que, manusque;
SED PLUS CONSILII, JUDICIIQUE FUIT.

Iustis bellorum causis, nec pace superbæ Nobilis ad summas gloria venit opes.

Optimè D. Ambros. epist. 30. *Si de re militari est consulendum, debet exercitati viri expectari sententia: Ipsi Duces aliquando superaverunt inimicos exercitus per syderum, cælique observationem, & sic ponebant castra, melioremque occupabant locum: ergo ad quid arma si deficit scientia? ista verò plerumque sine armis stare potest absolutè.*

Nec dubitari potest, quod literati 14 homines prius, si velint, ad arma eligendi; & quod melior eis locus debetur; & semper militaverunt insignes scientiarum, & bonarum artium Professores: *Virgil. lib. II.*

Forte sacer Cybele Chloreus, olimque Sacerdos

Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis,

Spumantemque agitabat equum; quem pellis ahenis

In plumam squamis, auroque inserta tegebatur.

Ipse peregrina ferrugine clarus, & ostro

Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati

Cassida.

Quid memoretur Asylas? Supponam Mathematicum.

Tertius ille hominum, Divumq; interpres Asylas,

Cui pecudum fibrae, cali cui sydera parent;

Et linguae volucrum, & præsagi fulminis ignes,

Mille rapit densos acie, atque hor-

torrentibus hastis.

Et volo te Vatem, Cupavo.

X 186
*paucis comitate Cupavo,
 Cujus olorina surgunt de vertice
 pennæ.*

- 15 Et si Jurisconsultos vellem adducere in medium, qui militavere, longo nobis Catalogo opus esset: Si ergo bella descendant in Lusitanam plagam, a quibus nos liberet Deus, ruant Advocati ad arma; & illis nempe fiet exercitus nimis grandis. Utrum vero ad hoc cogi possint, dico affirmativè, si necessitas instet; ablata verò necessitate, si in ipsis non est doctrina sufficiens, non tantum in Regno militare, sed in Indianam mittendos clamarem sua comptos oliva. Qui intelligit, intelligat: Horridus *Advocatus* ignarus mihi est; & quasi vivit rapto officio: pugnet ergo suis Ducibus.

*Et te montosa misere in prælia
 Nursæ
 Ufens, insignem fama, & felici-
 cibus armis.*

*Horrida præcipue cui gens, af-
 suetaque multo
 Venatu nemorum, duris Æqui-
 colæ glebis.*

*Convectare juvat prædas, &
 vivere rapto.*

*Quin & Marrubia venit de gen-
 te Sacerdos*

*Fronde super galeam, & felici
 comptus oliva.*

*Archippi Regis missu fortissimus
 umbro:*

*Vipereo generi, & graviter spi-
 rantibus hydris,*

*Spargere qui somnos cantuque,
 manuque solebat.*

- 16 O audientiarum venatores, qui Judices dormientes supponitis! Tales odit Orbis *Advocatos*. Illos vero, qui scientia, & honestate fulgent simplici militi præferendos evidens est; immo *Advocatus* est miles togatae militiae, & per leges, ut pasim dicitur, ac in illis disponitur,

gaudet privilegiis militaribus.

Tempore, quo hoc caput incæpi, 17 nostra clarissima Lusitania secura pa- ce fruebatur; ac etiam hodie vivit in pace: apparent tamen belli tumultus, minæque, ac pro utroque Non- nio memorato stant duo Praeclarissimi Comites do Assumar, & Atalaya, viri armis nimis potentes, & experti; primus Equitum Magister, secundus Peditum; & his duabus veluti co- lumnis certatim sese Lysii exhortan- tur in arma. Haud ulli veterum est quisque secundus. Utriusque

*Ardet apex capiti, cristiisque, ac
 vertice flamma
 Funditur, & vastos umbo vomit
 aureus ignes.*

*Non secus ac liquidâ si quando
 nocte Cometæ*

*Sanguinei lugubre rubent, aut
 Sirius ardor:*

*Ille sitim, morbosque ferens
 mortalibus ægris*

*Nascitur, & laeo contristat lu-
 mine Cælum.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXIV.

1 *Advocatus in causâ, quam defen-
 dit, regulariter testis esse non
 potest.*

2 *Utrum hoc militet adhuc finita
 advocatione? Referuntur duæ opi-
 niones contraria; & distinguitur in
 materiâ, ac tandem resolvitur num-
 quam manere testem integræ fidei.*

3 *Utrum possit esse testis in causâ ap-
 pellationis? Referuntur opiniones;
 inter quas distinguitur; ac ultimâ
 dicitur etiam non esse testem inte-
 græ fidei, licet admittatur.*

4 *Idem, quod dicimus de Patrono in
 causa Clientis, affirmamus de isto
 in lite sui *Advocati*.*

5 *Non solum *Advocatus* salariatus
 testis esse non potest; sed multo
 furtius non salariatus.*

6 *Advocatus, qui recepit pecuniam
 ab uno,*

- ab uno, ne alterum defenderet, adhuc pro illo testis esse non potest.
- 7 Contrarium tamen ut verum resolvitur.
- 8 Si vero Advocatus ut testis producitur ab Adversario, contra quem litem defendebat, certe probat. Debet tamen se excusare quantum possit.
- 9 Advocatus tantum electus potest esse testis; sed si de salario jam fuerit conventum, majus dubium est; & referuntur opiniones.
- 10 Per patrocinium subsequens non debilitatur juramentum antecedens.
- 11 Advocatus in una causa, potest esse in alia testis. Quando articuli sunt diversi, potest deponere in illis, in quibus non advocavit. Advocatus in possessorio potest testificari in plenario proprietatis. Et ubi veritas aliter haberi non valet, admittitur in subsidium. Semper in criminalibus admittitur ad presumptionem faciendam, & ne delicta maneat impunita. Dictum ejus non valet, nisi questioni subiectatur. Si cum Advocato concurrant testes idonei, ejus fides supplebitur. Contrarium tamen resolvitur. Limitatur autem, dum Advocatus sit incorrupte integritatis vir, atque bona feme.

C A P U T XXXIV.

Utrum Advocatus in causa, quam defendendam suscepit, possit esse testis? Latè agitur de hac materia cum omnibus suis casibus.

Advocatum in causa, qua est Advocatus, non posse esse testem regulariter propter presumptam affectionem colligitur ex aperto textu in cap. si testes omnes §. testes, quos accusator, 4. q. 3. tit. in l. fin. ff. de testib. Alber. in l. deferre num. 3. ff. de jure fisci, Speculat. in tit. de test. §. 1.

nu. 74. Æmil. in tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus nu. 3. Cephal. conf. 65. num. 22. lib. 1.

Quæ quidem communis regula ampliatur, adhuc finita advocatione: Bald. in l. omnibus num. 4. cod. de testib. quia sua interest ignorantiam non detegi: Mascard. de probat. lib. 3. c. 1357. nu. 4. Text. in cap. Roman. de testib. in 6. Surd. d. Mantua 219. Sed contra hanc limitationem est Ægidius in tract. de testib. num. 13. Mell. eod. tract. uum. 31. vers. item admittitur negotio finito: idem Mascard. de probat. lib. 1. c. 66. num. 9., ac plures alii, quos refert, & quibus assentior. Si velis, distinguere potes, & contrarias opiniones concordare, dicendo, quod prima procedit, si Advocatus consequatur ex juramento commodum, si non, secundæ adhæreas. Ita Myllis in suo repertor. verbo testis non potest esse Advocatus. Sed adhuc in his terminis obstare videtur illa affectio ad causam, quæ est motivum repellendi Advocatum a juramento. Ita arguit Mascardus de procuratore loquens, de probat. lib. 3. c. 1232. num. 12., & de Advocato in terminis Æmil. d. verbo Advocatus num. 42. fol. 101. Pro resolutione dicas, numquam manere testem integræ fidei, & omni exceptione majorem: Rym. cons. 56. num. 4. lib. 10.

Neque in causa appellationis Advocatus potest esse testis pro suo clientulo: Campeg. de testib. reg. 58. in princ. Corrad. in pract. §. 2. de officio Prætor. tit. de testib. rubric. person. test. aggred. verb. Advocatus num. 59., vel adhuc in causa appellationis det suum patrocinium, tunc enim clarè est extra omne dubium, vel non: Imol. in c. cum a nobis n. 7. vers. si autem extra de testib. Contrarium tamen hisce terminis affirmavit Bartol. in conf. 213. nu. 2. Malet. de test. p. 1. c. 4. num. 6. Distingue pro concordia, ut supra, & dic non ma-

nere omni exceptione majorem.

- Mandof.* 4 Quod dicimus de Patrono in causa Clientuli, procedit pariformiter de Clientulo in processu sui Patroni, & Advocati, quasi quod sit ejus domesticus: *Alb. in l. fin. num. 7. ff. ae testib. Speculat. in tit. de teste § primo num. 13.* Hoc tamen intellige, durante patrocinio, illo enim finito, nulla datur ratio, ex vi cuius clientulus non possit esse testis in causa Advocati: *Mascard. lib. 3. c. 1357. num. 49.*

- Mallet.* 5 Non solum Advocatus salariatus a testimonio repellitur, per ea, quæ diximus; sed etiam non salariatus; immò in isto præsumitur major affection: *Mandof. in addit. ad Roman. conf. 420. lit. A. Surd. d. Mantuan. 219. num. 5., & 6.* Et mihi non placet; quia Advocatus non salariatus, ideo est magis salariatus; & vera hirudo, sicut me docuit experientia, & multi casus, quos possem de aliquibus recensere. Ego vero, ut verum fatear, numquam sine pecunia pro divitibus volui descendere in arenam; pro pauperibus vero (Deus scit) neque dubitavi umquam, neque dum mens, & vita fuerit, dum spiritus hos reget artus, dubitabo.

- Mallet.* 6 Advocatus, qui ab una partium pecuniam recepit, ut alteram non foveat, non potest esse testis in tali casu, ut reprobato Speculatore tenet *Malet. in tract. de testib. c. 4. num. 7. in fin., & num. 8.* Et hoc ex dupli ratione; primo propter receptionem pecuniarum; quia jam contractus habet executionem pro parte. Secundo; quia negare non possumus, quin Advocatus iste, qui pecuniam recepit, habeat affectionem ad causam: *Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 66. num. 5., & 6.*

- 7 Ego tamen resolutivè dico hoc mihi non placere; & in primis dico talem contractum esse indignum. Supposito autem, quod quis demens eum celebret, dico talem

habere solum affectionem ad pecuniam, quidquid de causa, quam non defendit. Et forsitan illorum terminos, & facta ignoret. Potest ergo talis Advocatus esse testis his terminis: *Speculat. in tit. de testib. §. I. num. 75. Hoshens. in summa sub tit. de testib. §. quis possit esse testis col. 5. vers. quid si Advocatus.* Et do aliam rationem; quia edictum de testibus est prohibitorium; & non reperitur cautum, Advocatum in tali eventu non posse esse testem: *Aufr. de reprob. test. num. 8. vers. sed ubi receperisset pecuniam, & nu. 79. vers. pecuniam recipiens.*

Quando verò Advocatus inducitur in testem ab eo, contra quem est patrocinatus, admittitur, & probat pro utraque parte: *Bartol. in l. omnibus num. 7. in fin. cod. de testib.*, & potest cogi in tali casu ad testificandum: *Felin. in cap. cum a nobis num. 13. extr. de testib. Emil. tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus n. 26.*, ubi plures refert. Rectius tamen faciet Advocatus in tali casu, abstinentendo se a tali testimonio, si possit; inveterendum enim quodammodo videtur eum testimonio lèdere, quem aliquando in eadem causa patrocinando adjuvavit: *Franc. in cap. Roman. num. 3. de testib. in 6.*

Advocatus autem tantum electus, pro Clientulo potest ferre testimonium, si adhuc non incæpit advocare: *Felin. in cap. cum a nobis num. 13. vers. idem si fuisset electus extr. de testib. Corn. conf. 309. num. 5. lib. 4. Emil. de testib. p. 1. verbo Advocatus num. 22., & 23. fol. 92.* Et est ratio, quia lex non simpliciter prohibet Advocatum, sed quando patrocinium præstítit: *l. fin. ff. de testib.* Ergo cessat ratio. Sed si jam de salario fuerit conventum, repellitur a testificando: *Alber. in l. fin. num. 6. ad med. ff. de testib.*, ex eo enim quod de salario conventum est, jam dicitur Advocatus: *l. 1. §. Advocati ff. de var.*

de var, & extraord. cognit., & pro Cliente advolare tenetur, quem in fide sua suscepit: l. quisquis Cod. de postul. Ast cum salarium non receperit, vel præstigit patrocinium, licet sit de illo conventum, posse esse testem voluit originaliter *Glos. in l. fin. glosa 1. vers. quod si nondum præstiterunt ff. de test. sequitur Campeg. de testib. Reg. 58. in 1. fall. Corn. conf. 309. Mascard. de probat. lib. 1. c. 66. num. 10.*

10 Si testificetur Advocatus ante patrocinium, ex eo subsequenti non debilitatur juramentum; etiam quod sciret se futurum Advocatum: *Malet. de testib. c. 4. num. 4. vers. quod verum, & nu. 5.*, & reprobatur *Imol.* contrarium tenentem in *C. cum a nobis num. 5. vers. an autem ille, extra de testibus,* & dicit hoc esse verum in Judice, & ut repellatur a judicando.

11 Advocatus vero in una causa, potest in alia esse testis: *Campeg. de test. Reg. 62. in 9. Sall. Lanfranc. de testib. num. 67. vers. in alia autem causa;* & testatur hanc esse communem. Sed Millis contradicit in suo repert verbo testis esse non potest *Advocatus Cephal. conf. 65. nu. 22. lib. 1.* Etiam potest esse, quando articuli sunt diversi, & in illis deponere, in quibus non advocavit; si sint disjuncti, & non connexi: *Corrad. in pract. §. 20. de offic. Præt. tit. de testib. rubr. pers. test. verbo Advocat. num. 29.* Propterea: Advocatus in causa possessio-
nis potest testificari in plenario proprietas, *Rip. in l. naturaliter num. 18. vers. quartò infertur ff. de acquir. posses.*, & in contractibus, & instrumentis: *Æmil. tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus num. 37., & 38. Campeg. de testib. Reg. 58. in 9. fall.*, & in omnibus casibus de partium consensu, & nunc nulla est exceptio: *Mascard. de probat. lib. 1. concl. 66. nu. 18. Æmil. tract. de test. partic. 1. verbo Advocatus num. 18.*, &

Maletis

ubi veritas aliter haberi nequit; tunc enim venit in subsidium: *Malet. de testib. c. 4. nu. 6., & 7. Butr. in cap. cum a nobis num. 12. in fin. extr. de test.*, licet non desint, qui summa puris ratione contrarium attestant, ut videre est apud citatum *Malet.* Verum tamen est, quod semper Advocatum admitterem, saltem ad aliquam præsumptionem faciendam, & ad veritatem detegendam, ne delicta maneant impunita, & in re gravi est mihi indubitabilis. Nota tamen quasi pro coronide; quod si Advocatus admittatur testis in subsidium pro suo clientulo, non valet ejus dictum, nisi quæstiōni subiiciatur: *Mathes. singul. 188. num. 2.* Si tamen cum Advocato sit vincitus aliis testis idoneus, validum, atque ratum erit Advocati testimonium, & supplebitur ex idoneitate alterius: *Amic. conf. 121. col. 4. vers. non obstat: Æmil. de testib. verbo Advocatus num. 46. fol. 103.*, sed hoc habet dubium valde magnum, quod stat in regula generali, quod numquam unius inhabilitas supleatur ex fide alterius, ad quam multa DD. Accedit, quia quod non probat nec semiplene separatum, nihil est; & quod nihil est non intenditur, neque conjungitur, & ita pro hoc resolutive, & magistrali staret stare, nisi Advocatus esset bona famæ, incorruptæ integritatis, atque partibus ipsis locupletior; quia tunc extra controversiam cessare debet suspicio falsitatis, & de apicibus non curarem, immo libenter eum admitterem ad testificandum: *Aymon. conf. 56. num. 14. Æmil. de testib. par. 1. verbo Advocatus num. 45. fol. 102.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXV.

- 1 Contenditur Advocatos esse justitiæ Officiales.
- 2 Contraria proponitur Senteuticæ,

V 2 & bre-

Voluntas.

Ad actum voluntatis bonum requiritur judicium prudentiale reflexum de bonitate ipsius actus,
p. I. c. 51. n. 5: f. 217.

Urbanitas.

Nulla melior medicina ad capti-
vandos animos agrestes, p. I. c.
25. n. 2. f. 116.

Utilitas.

Publica debet præferri privatæ,
p. I. c. 42. n. 2. f. 181.

Uxor.

Uxori communicatur nobilitas

FINIS. LAUS DEO.

viri, p. 1, c. 41, n. 1, f. 177.

Advocatorum nobiles sunt, & vocantur Domnæ, ibid. n. 2.

D. Adrianus uxorem dominam
vocabat, ibid. n. 4. f. 178.

Conjuges sunt socii Divinæ,
humanæque domus, ibid. n. 9.
f. 179.

X

Xerxes.

Libros à Græcia in Persiam
transtulit, p. I. c. 17. n. I.
f. 81.

Industria Themistoclis illum superavit, p. I. c. 33. n. 13. f. 151.







